

sicut ipsius habitus qui est scientia: & similiter est de relatione quam importat nomen motus, quæ efficitur nova per acquisitionem ipsius motus à movente in mobili.

Ad nonum dicendum, quod hujusmodi vicissitudinis, quod quandoque mundus non fuit, & postmodum fuit, non est causa efficiens aliquis motus, sed aliqua res semper eodem modo se habens, scilicet voluntas divina, quæ ab æterno fuit de hoc quod mundus in esse post non esse exiret. Et si diceretur, quod idem semper facit idem; dico, quod verum est, si accipiat agens secundum propriam rationem, qua producit determinate hunc effectum. Sicut autem agens naturale determinatur per formam propriam, ut nunquam sequatur actio nisi secundum convenientiam ad formam illam; ita agens voluntarium determinatur ad actionem per propositum voluntatis: unde si voluntas non sit impedibilis, nec mobilis, non sequitur effectus nisi secundum hoc quod voluntas proposuit: & hoc est verum quod voluntas divina in hoc quod semper est eadem, semper facit illud quod ab æterno voluit, quia nunquam cassatur; non tamen facit ut sua voluta semper sint, quia hoc ipse non vult: unde si hoc faceret, quia faceret illud quod ipse non vult, esset simile ac si calor faceret frigus.

Ad decimum dicendum, quod prima individua generabilia, & corruptibilia non prodierunt in esse per generationem, sed per creationem, & ideo non oportet quædam præexistisse ex quibus creata sint, ut sic in infinitum abeat.

Ad undecimum dicendum, quod est duplex agens. Quoddam per necessitatem naturæ, & istud determinatur ad actionem per illud quod est in natura ejus: unde impossibile est quod incipiat agere nisi per hoc quod educitur de potentia ad actum, vel essentiali, vel accidentali. Aliud est agens per voluntatem, & in hoc distinguendum est, quod quoddam agit actione media, quæ non est essentia ipsius operantis; & in talibus non potest sequi effectus novus sine nova actione; & novitas actionis facit aliquam mutationem in agente, prout est exiens de otio in actum, ut in II. de Anima dicitur. Quoddam vero sine actione media, vel instrumento; & tale agens est Deus: unde suum velle est sua actio; & sicut suum velle est æternum, ita & actio; non tamen effectus sequitur nisi secundum formam voluntatis, quæ proponit sic vel sic facere: & ideo non exit de potentia in actum, sed effectus qui erat in potentia agente, efficitur actu ens.

Ad duodecimum dicendum, quod in omnibus illis quæ agunt propter finem, qui est extra voluntatem, voluntas regulatur secundum illum finem: unde secundum ea quæ impediunt: & juvant ad finem, vult quandoque agere, & quandoque non agere. Sed voluntas Dei non dedit esse ipsi universo propter alium finem existentem extra voluntatem ejus, sicut nec movet propter alium finem, ut Philosophi concedunt, quia nobilior non agit propter vilior se: & ideo non oportet ex hoc quod non semper agat, quod habeat aliquid inducens, & retrahens, nisi determinationem voluntatis suæ, quæ ex sapientia sua omnem sensum excedente procedit.

Ad decimum tertium dicendum, quod intellectus divinus intelligit omnia simul; & ideo ex hoc quod intelligit presentia hujus temporis, & illius, non est aliqua mutatio in intellectu ejus, licet hoc non possit

Ex Edit. P. Nicol. (c) Colligitur ex Lib. XVI. Moral. cap. XVIII.

contingere in intellectu nostro: & ideo patet quod ratio sophistica est. Similiter nec ponitur aliquis motus ex parte rei imaginatæ, quia Deus noluit facere universum post aliquod tempus, quia tempus ante non erat, nisi imaginatum, ut prius dictum est.

Ad decimum quartum dicendum, quod voluntas divina non ab æterno produxit universum, quia aliquid deerat ipsi volito: hoc enim quod volito potest intelligi deesse, propter quod differtur, est proportio ipsius ad finem; sicut voluntas hominis differt sumere medicinam, quando medicina non est proportionata sanitati hominis: & sic dico, quod ipsi universo, quod fieret ab æterno, deerat proportio ad finem, quæ est voluntas divina: hoc enim voluit Deus ut haberet esse post non esse, sicut natura, ita & duratio; & si ab æterno fuisset, hoc sibi defuisset: unde non fuisset proportionatum divinæ voluntati, quæ est finis ejus.

Et quia ad rationes in contrarium factas, quas dixi demonstrationes non esse, inveniuntur Philosophorum responsiones; ideo quamvis verum concludant, ad eas etiam respondendum est, secundum quod ipsi Philosophi respondent, ne alicui disputanti contra tenentes æternitatem mundi ex improviso occurrant.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Commentator in Lib. de Substantia orbis (cap. 11.) Aristoteles nunquam intendit quod Deus esset causa motus cœli tantum, sed etiam quod esset causa substantiæ ejus dans sibi esse. Cum enim sit finita virtus, eo quod corpus est, indiget aliquo agente infinite virtutis, à quo & perpetuitatem motus habeat, & perpetuitatem essendi, sicut metum, & esse. Non tamen ex hoc sequitur quod præcedat duratio: quia non est dans esse per metum, sed per influentiam æternam, secundum quod scientia ejus est causa rerum, & ex hoc quod scit ab æterno vel finem. Unde ex hoc quod infinitum esse, sicut ex hoc quod sol est ab æterno, sequitur quod radius ejus ab æterno sit.

Ad secundum respondet Avicenna in sua Metaphysica (tract. VI. cap. 1. & 11. ut & tract. IX. cap. IV.) dicit enim omnes res à Deo creatas esse, & quod creatio est ex nihilo, vel ejus quod habet esse post nihil. Sed hoc potest intelligi dupliciter: vel quod designetur ordo durationis, & sic secundum eum falsum est; aut quod designetur ordo naturæ, & sic verum est. Unicuique enim est prius secundum naturam illud quod est ei ex se, quam id quod est ei ab alio. Quælibet autem res præter Deum habet esse ab alio. Ergo oportet quod secundum naturam suam esset non ens, nisi à Deo esse haberet; sicut etiam dicit Gregorius, (c) quod omnia in nihilum deciderent, nisi ea manus omnipotentis contineret: & ita non esse, quod ex se habet naturaliter, est prius quam esse quod ab alio habet, etsi non duratio: & per hunc modum conceduntur à Philosophis res à Deo creatæ, & factæ.

Ad tertium dicendum, quod infinitum actu impossibile est; sed infinitum esse per successionem, non est impossibile. Infinitum autem sic considerati quodlibet acceptum finitum est: transiens autem non potest intelligi nisi ex aliquo determinato ad aliquod determinatum: & ita quodcumque tempus determinatum accipiat, semper ab illo tempore ad istud est finitum tempus; & ita est devenire ad præsens tempus. Vel potest dici, quod tempus præteritum

tum est ex parte anteriori infinitum, & ex posteriori finitum; tempus autem futurum è contrario. Unicuique autem ex parte illa quæ finitum est, est ponere terminum, & principium vel finem. Unde ex hoc, quod infinitum est tempus præteritum ex parte anteriori, secundum eos sequitur quod non habeat principium, sed finem: & ideo sequitur quod si homo incipiat numerare à die isto, non poterit numerando pervenire ad primum diem; & è contrario sequitur de futuro.

Ad quartum dicendum, quod infinito non fit additio secundum suam totalem successionem, quæ infinitum est in potentia tantum accipientis; sed alicui finito accepto in actu: & illo nihil prohibet aliquid esse plus vel majus. Et quod hæc ratio sit sophistica patet, quia tollit etiam infinitum in additione numerorum, ut si sic dicatur: Aliquæ species numerorum sunt excedentes denarium, quæ non excedunt centenarium: ergo plures species excedunt denarium quam centenarium; & ita cum infinite excedant centenarium, erit aliquid majus infinito. Patet ergo quod excessus, & additio, & transitus non est nisi respectu alicujus in actu, vel in re existentis, vel actu per intellectum, vel imaginationem acceptæ. Unde per has rationes sufficienter probatur quod non sit infinitum in actu, nec hoc est necessarium ad æternitatem mundi. Et istæ solutiones accipiuntur ex verbis Philosophi III. Physic. (a text. XVI. usque in finem.)

Ad quintum dicendum, quod eundem effectum præcedere causas infinitas per se, vel essentialiter, est impossibile; sed accidentaliter est possibile; hoc est dictum, aliquem effectum de cujus ratione sit quod procedat à causis infinitis, esse impossibilem; sed causas illas quarum multiplicatio nihil interest ad effectum accidit effectus esse infinitas. Verbi gratia, ad esse cultelli exiguntur per se aliquæ causæ moventes, sicut faber, & instrumentum; & hæc esse infinita est impossibile, quia ex hoc sequeretur infinita esse simul actus; sed quod cultellus (1) factus à quodam fabro sene, qui multoties instrumenta sua renovavit, sequitur multitudinem successivam instrumentorum, hoc est per accidens; & nihil prohibet esse infinita instrumenta præcedentia istum cultellum, si faber fuisset ab æterno. Et similiter est in generatione animalis: quia semen patris est causa movens instrumentaliter respectu virtutis solis. Et quia hujusmodi instrumenta, quæ sunt causæ secundæ, generantur, & corrumpuntur, accidit quod sunt infinitæ: & per istum etiam modum accidit quod dies infiniti præcesserint etiam istum diem: quia substantia solis ab æterno est secundum eos & circulatio ejus qualibet finita. Et hanc rationem ponit Commentator in VIII. Physic. (text. xv. & XLVI.)

Ad sextum dicendum, quod illa objectio inter alias fortior est; sed ad hanc respondet Algazel in sua Metaph. ubi dividit ens per finitum, & infinitum; & concedit infinitas animas esse in actu; & hoc est per accidens, quia animæ rationales ex utraque corporibus non habent dependentiam ad invicem. Sed Commentator respondet, quod animæ non remanent plures post corpus, sed ex omnibus manet una tantum, ut infra patebit: unde nisi hæc possetur, quam ponit in III. de Anima, primo improbaretur, ratio contra eum non concluderet. Et hanc etiam rationem tangit Rabbi Moyses (I. de perplexis veteris testamenti cap. LXXII.) ostendens prædictam rationem non esse demonstrationem.

(1) Al. sit factus. (2) Al. omittitur est.

Ad septimum dicendum, quod etiam si mundus semper fuisset, non æquaretur Deo in duratione: quia duratio divina, quæ est æternitas, est tota simul; non autem duratio mundi, quæ successione temporum variatur. Et hanc ponit Boetius in V. de Consolatione (pros. VI.)

Ad octavum dicendum, quod in cœlo non est potentia ad esse, sed ad ubi tantum, secundum Philosophum; & ideo non potest dici, quod potentia ad esse sit finita vel infinita; sed potentia ad ubi finita est. Nec tamen oportet quod motus localis, cui correspondet hæc potentia, sit finitus: quia motus est infinitus duratione ab infinitate virtutis moventis, à qua fluit motus in mobile. Et hæc est ratio Commentatoris in XI. Metaph. (text. XLII.) tamen hoc quod dicit, quod non habet potentiam ad esse, intelligendum est, ad acquirendum esse per motum; habet tamen virtutem, vel potentiam ad esse, ut dicitur in I. Cœl. & mund. & hæc virtus finita est; sed acquiritur duratio infinita ab agente separato infinito, ut ipsemet in Lib. de Substantia orbis (cap. 11.) dicit.

Ad nonum dicendum, quod duratio Dei, quæ æternitas ejus (2) est, & natura ipsius sunt una res; & tamen distinguuntur ratione, vel modo significandi: quia natura significat quandam causalitatem, prout dicitur natura motus principium; duratio autem significat quandam permanentiam: & ideo si accipiat præ eminentia naturæ divinæ, & durationis ad creaturam, ut utrumque est res quædam; inveniatur eadem præ eminentia: sicut enim natura divina præcedit creaturam dignitate, & causalitate; ita & duratio divina eisdem modis creaturam præcedit. Non tamen oportet, si Deus præcedit mundum per modum naturæ, ut significatur cum dicitur, Naturaliter præcedit mundum, quod etiam mundum præcedat per modum durationis, ut significatur, cum dicitur, Deus duratione præcedit mundum; cum non sit idem modus significandi naturæ, & durationis. Et similiter solvantur multæ aliæ similes objectiones, ut in I. Libro dictum est.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter exponatur: In principio creavit Deus cœlum & terram, id est in Filio.

1. P. quæst. XLVI. art. 3.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter exponatur: In principio creavit Deus cœlum, & terram, id est in Filio. Patet enim est principium totius Divinitatis, ut Augustinus dicit (Lib. IV. de Trin. cap. XX.) Ergo per principium appropriate debet intelligi Pater.

2. Præterea. Ut in I. Libro dictum est, Ex ipso dicitur propter Patrem, In ipso propter Spiritum Sanctum. Ergo per hoc quod dicitur, In principio, intelligitur Spiritus Sanctus, & non Filius.

3. Item. Videtur quod inconvenienter dicatur, In principio temporis. Quia tempus adjacet motui firmamenti. Sed firmamentum factum est secunda die. Ergo principium temporis fuit post creationem cœli, & terræ; & ita non in principio temporis creata sunt.

4. Præterea. Tempus est unum de quatuor primo creatis. Sed tempus non est creatum in principio temporis, quia tempus sic esset indivisibile, quod est impossibile. Ergo nec cœlum, nec terra.

5. Item.

Unde secundum Philosophum in I. Cœl. & mund. (c)

5. Item. Videtur quod inconvenienter dicatur: In principio, idest ante omnia. Quia, sicut dicitur in Libro de Causis (prop. iv.) prima rerum creaturarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud. Sed cœlum, & terra non sunt suum esse. Ergo ante cœlum, & terram aliquid creatum est.

6. Præterea. Eccli. xviii. i. dicitur: Qui vivit in æternum creavit omnia simul. Ergo cœlum, & terra non sunt ante omnia creata.

7. Præterea. Cœlum, & Angelus sunt simul facta, ut infra dicatur. Ergo non ante omnia cœlum, & terra facta sunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod triplex expositio posita conveniens est secundum Sanctos, per quam multiplex error excluditur. Per primam excluditur error Manichæi ponentis plura principia: quia in principio uno effectivo, & non in pluribus, res factæ dicuntur. Per secundam excluditur error æternitatis mundi, in hoc quod mundus principium durationis habere ponitur. Per tertiam excluditur error ponentium visibilia à Deo creata mediante spirituali creatura, in hoc quod ponitur cœlum, & terra esse primo creata.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio principii effectivi appropriatur Patri, sed ratio principii exemplaris per modum artis appropriatur Filio, qui est sapientia, & ars Patris.

Ad secundum dicendum, quod esse in, sicut in continente, & salvante, appropriatur Spiritui Sancto propter appropriatum bonitatis; sed esse in per modum quo artificiatum est in arte, & res in sua similitudine, appropriatur Filio.

Ad tertium dicendum, quod secundum illam opinionem quæ ponit omnia simul creata in materia informi, dicuntur res creatæ in principio temporis, quod mensurat motum primi mobilis, non sicut in mensurante creationem, sed sicut in adjacente creationi: quia simul fuerant rerum creatio, & temporis principium. Sed secundum aliam opinionem, quæ ponit res formatas per temporum successionem, non intelligitur de tempore quod est mensura illius motus, sed de tempore quod est numerus illius vicissitudinis, qua esse mundi succedit ad non esse ejusdem. Vel secundum alios sumitur tempus pro ævo, quod simul cum cœlo, & terra creatum est.

Ad quartum dicendum, quod sicut numerus non numeratur alio numero, ita nec tempus alio tempore mensuratur, nec fieri ejus, cum suum esse totum sit in fieri: unde incipit in principio temporis non sicut in mensurante esse ejus, sed sicut in eo à quo incipit ejus productio, ut animalis à corde, & domus à fundamento, & lineæ à puncto.

Ad quintum dicendum, quod loquitur Philosophus de ordine naturæ, prout animal prius homine dicitur, & non de ordine durationis: non enim fuit esse cœli, & terræ ante ipsa tempora.

Ad sextum dicendum, quod intelliguntur secundum unam opinionem omnia simul creata non in speciebus suis, sed in materia informi: sed secundum alios dicuntur omnia simul etiam in formis propriis; sed tunc hæc ante alia creata dicuntur, non duratione, sed naturæ ordine, secundum quod in via generationis est incompleta ante completum. Hæc tamen infra magis inquirentur.

(3) Al. & cur, & sic factus est &c.

Ad septimum dicendum, quod per cœlum etiam intelligitur angelica natura, quæ in cœlis habitare dicitur, & per terram intelligitur tota natura generalium, & corruptibilium.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

DICTO exitu rerum à primo principio, hic prosequitur ordinem earum in ultimum finem: & dividitur in partes tres. In prima ostendit finem ultimum creaturarum. In secunda ex fine ostendit creaturarum diversitatem, ibi, Et quia non valet ejus beatitudinis particeps existere aliquis nisi per intelligentiam... fecit Deus rationalem creaturam. In tertia, ex distinctione concludit tractandi ordinem, ibi, Ex præmissis apparet, rationalem creaturam in Angelicam, & humanam fuisse distinctam. Secunda dividitur in tres. In prima ostendit ordinem spiritualis naturæ in finem; in secunda ordinem corporalis, ibi: Et sicut factus est homo propter Deum... ita mundus factus est propter hominem; in tertia ordinem conjuncti ex utroque, ibi: Solet etiam quæri cum majoris dignitatis esse videretur anima, si absque corpore permansisset, cur unita sit corpori. Circa primum duo facit. Primo ex fine concludit spiritualis naturæ institutionem; secundo concludit ordinem ipsius in finem, ibi: Ideoque si quærat, quare creatus sit homo, vel Angelus, brevi sermone responderi potest: Propter bonitatem ejus. Et circa hoc tria facit. Primo assignat finem ex parte agentis; secundo ex parte operis, ibi: Et si quærat, ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur, Ad laudandum Deum; tertio conjungit utrumque, ibi: Cum ergo quæritur, quare, (3) vel ad quid facta sit rationalis creatura, brevissime responderi potest: Propter Dei bonitatem, & suam utilitatem. Circa hoc duo facit. Primo ostendit finem corporalis creaturæ; secundo excludit quamdam dubitationem, ibi: De homine quoque in Scriptura interdum reperitur quod factus sit propter reparationem angelicæ ruinæ.

QUÆSTIO II.

HIC quinque quærantur. Primo. Utrum Deo conveniat agere propter finem.

Secundo. Utrum finis omnium sit Dei bonitas.

Tertio. Utrum omnia sint propter hominem facta.

Quarto. Propter quid homo ex anima, & corpore constitutus sit.

Quinto. Utrum tali corpori anima ejus uniri debuerit.

ARTICULUS I.

Utrum Deo competat agere propter finem.

I. P. quæst. XLIV. art. 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Deo non competat agere propter finem. Finis enim est terminus motus; unde in his quæ earent motu, sicut in mathematicis, non est finis, neque bonum, ut in III. Metaph. (text. 111.) dicitur. Sed Deus non producit res per motum, ut prius dictum est. Ergo sibi non competit propter finem agere.

2. Præterea. Finis est perfectio agentis; unde sicut

(3) Al. & cur, & sic factus est &c.

materia appetit formam, ita agens finem. Sed Deo non competit ab aliquo perfici, cum sit primus movens, & perfectio summa. Ergo non agit propter finem.

3. Præterea. Unicuique agenti propter finem, melius est suum opus esse quam non esse: quia per illud finem consequitur, ut patet inducendo in singulis. Sed non melius, immo indifferens est Deo utrum creaturæ sint, vel non sint: quia bonorum nostrorum non eget. Ergo non agit propter finem.

4. Præterea. Actio ejus est ultimus finis rerum, quia est sua substantia. Sed finis ultimi non est aliquid aliud finis. Ergo videtur quod actio ejus non sit propter finem.

Sed contra. Omne agens quod non agit propter finem aliquem, opus ejus est vanum. Sed Dei opera non sunt hujusmodi: unde in Psal. lxxxvi. 48. dicitur: Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum? Ergo agit propter finem.

Præterea. Secundum Philosophum II. Metaph. (text. ix.) omne agens per intellectum, agit propter finem. Sed Deus est hujusmodi, cum sua scientia sit causa rerum. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod agere aliquid propter finem est dupliciter: vel propter finem operis; vel propter finem operantis. Finis operis est hoc ad quod optus ordinatum est ab agente, & hoc dicitur ratio operis; finis autem operantis est quem principaliter operans intendit: unde finis operis potest esse in alio, sed finis operantis semper est in ipso; sicut patet in ædificatore, qui lapides congregat ad componendum eos; quod ista compositio, in qua consistit forma domus, est finis operis; sed utilitas quæ provenit ex hoc operanti, est finis ex parte agentis. Cum autem omne opus divinum in finem quemdam ordinatum sit, constat quod ex parte operis Deus propter finem agit. Sed quia finis operis semper reducit in finem operantis, ideo oportet quod etiam ex parte operantis, finis actionis ejus consideretur, qui est bonum ipsius in ipso. Sciendum est ergo, quod agere hoc modo, est dupliciter: vel propter desiderium finis, vel propter amorem finis: desiderium enim est rei non habitæ; sed amor est rei quæ habetur, ut Augustinus dicit (super Psal. cxviii. ser. viii. prope finem) & ideo omni creaturæ convenit agere propter desiderium finis, quia unicuique creaturæ acquiritur bonum ab alio quod ex se non habet; sed Deo competit agere propter amorem finis, cujus bonitati nihil addi potest. Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, & ex hoc vult quod bonitas sua multiplicetur per modum qui possibilis est, ex sui scilicet similitudine, ex quo provenit utilitas creaturæ, in quantum similitudinem divinæ bonitatis recipit: & ideo dicitur in littera, quod Deus fecit creaturam propter bonitatem suam, considerando finem operantis; & propter utilitatem creaturæ, considerando finem operis: & propter hoc etiam dicit Augustinus (I. de Doctr. Christ. cap. xiiii.) quod in quantum Deus est bonus, sumus: & Dionysius dicit in iv. cap. de divin. Nom. quod divinus amor non dimisit eum sine germine esse.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Avicennam (Metaph. tract. vi. cap. i.) sicut est duplex agens, quoddam quod agit per motum, sicut naturale; & quoddam quod agit sine motu, dando esse; ita duplex est bonum, quoddam acquisitum In II. Sent. Tom. II.

per motum, & hoc est tantum in rebus naturalibus; & quoddam acquisitum sine motu in recipiendo influentiam agentis sine motu, & tale est bonum etiam in rebus immobilibus.

Ad secundum dicendum, quod illud quod agit propter desiderium finis, habet finem extra se; quo perficitur. Hoc autem non convenit Deo qui agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis à se habitus, & amatus: & ideo dicimus, quod divina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas.

Ad tertium dicendum, quod omne id quod agit propter desiderium finis, per actionem suam ordinatur ad consecutionem desiderati. Unde oportet quod apud eum differat an sit, vel non sit suum opus. Non autem apud eum qui agit propter finis amorem, quia non agit ad acquirendum aliquod bonum.

Ad quartum dicendum, quod actio divina est essentia ejus: & ex hac parte non quæritur finis ejus; sed ex parte illa qua effectum creaturæ communicat.

ARTICULUS II.

Utrum creaturæ sint propter bonitatem Dei.

I. P. quæst. XLIV. art. 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod creaturæ non sint propter Dei bonitatem. Sicut enim in I. Cœl. & mun. (text. xxxii. & lvi.) dicitur, nihil movetur naturaliter propter illud quod consequi non potest. Sed nulla res potest consequi divinam bonitatem: quia ipsa non recipitur ut perfectio alicujus creaturæ, vel forma. Ergo res non sunt ordinatæ naturaliter in ipsam.

2. Præterea. Ut in II. Cœl. & mun. (text. xvii.) dicitur, omnis res est propter suam operationem; & res sempiterna vel incorporalis, est propter sempiternalitatem sui esse. Sed esse rei, & operatio non est extra ipsam. Ergo videtur quod non sint propter Dei bonitatem, quæ est à rebus separata, & impermixta.

3. Præterea. Omnis res producit ab agente propinquius fini, quantumcumque potest. Sed quanto aliquid est melius, & diuturnius, magis ad divinam bonitatem accedit. Ergo fecit unumquodque quantumcumque melius potuit, & ab æterno, si facere potuit: quæ cum falsa sint, videtur quod bonitas Dei creaturarum finis non sit.

4. Præterea. Divina bonitas est sua beatitudo. Sed beatitudinis ejus non est capax nisi intellectualis creaturæ, ut in littera dicitur: Ergo non omnis creaturæ finis est divina bonitas.

Sed contra. Hoc propter quod res fit est finis ejus. Sed, sicut dicitur Prover. xvi. 4. universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ergo videtur quod ipse sit finis omnium.

Præterea. Bonum habet rationem finis, ut in III. Metaph. (text. 111.) dicitur. Ergo & summum bonum habet in Deo rationem finis ultimi. Sed divina bonitas est summa bonitas. Ergo ipsa est ultimus rerum finis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod finis, & agens proportionantur ad invicem, sicut materia, & forma. Unde secundum differentiam agentis est differentia finis. Est autem duplex agens. Quoddam quod sus-